

## PRAEFATIO

fabulas vel potius fabularum partes (Bacch. 35-80, 570-650, 810-900, Pers., Poen., Pseud. 730-fin., Rud. init.-790) in quibus lectiones deperditi codicis Turnebi (*T*) nuper repertae in bibliotheca Bodleiana praesto sunt antiquius testimonium huius recensiois habemus, nam ex consensu codicis *T* cum ceteris codicibus lectiones ipsius illius proarchetypi (*P<sup>A</sup>*) indagare possumus; unde fit ut siglo *P* (vel '*cod.*') in his fabulis non modo archetypi (unde *BCDEVJO* et correctiones *B<sup>3</sup>*) sed etiam proarchetypi (unde etiam *T*) lectiones denotentur.

Siquis autem pleniorum lectionum et coniecturarum narrationem requirit, ad maiores editiones, sive eam quam paravit Leo (ap. Weidmann., Berolini, 1895-6) sive eam quam Goetz, Loewe, Schoell (ap. Teubner., Lipsiae, 1881-94), se convertat. Hac enim in adnotatione neque scaenarum titulis<sup>1</sup> (quorum sane maxima pars perantiqua vix esse potest) neque personarum notis (quae in codice *A* evanuerunt, in ceteris saepe temere sunt dispositae) neque versuum lyricorum (nisi in *AT*) divisionibus neque discrepantiis iis levioribus quae ad orthographiam solam spectant (ut *oppinor* pro *opinor*, *etquis* pro *ecquis*, *philopolemeus* pro *Philopolemus*) locum dedi. Neque Plautinas apud grammaticos citationes omnes recipere potui, sed tantummodo eas quae aliquid novi et pretiosi adferre videbantur<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Scaenarum divisiones et tituli quam saepe plus incommodi legentibus (e.g. Men. V. iii, iv) quam commodi afferant exposuit Leo (*Plaut. Forsch.* 14 n.), qui in editione sua textum per actus singulos continuum exhibuit. Quod quidem in hac editione libenter fecissem nisi mihi alia libri forma praescripta esset.

<sup>2</sup> Cavendum sane est ne temerariis apud grammaticos citationibus nimia fides tribuatur. Nihilominus vellem, si licuisset, plures earum quae simul codices nostros et huius editionis textum confirmant admittere; nam consensus grammatici alicuius cum alterutra recensione fere tantum auctoritatis habet quantum consensus duarum recensioneum (*AP*) neque sine gravi causa contemni debet (e.g. Men. 98).